

## **Disputatio Inaugvralis Medica De Acidorum Indole Et Effectibus : Qvam Rectore ... Domino Friderico, Duce Ac Principe Hereditario Megapolensi**

[Rostock]: Typis I. I. Adleri, [1752]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002288959>

Druck Freier  Zugang



RU med. 24. Aug. 1752

Quistorp, Joh. Bernh.







SVMMO ADIVVANTE DEO!  
DISPVATIO INAVGYRALIS MEDICA

DE

ACIDORVM INDOLE  
ET EFFECTIBVS,

QVAM

RECTORF, ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO,

DVCE AC PRINCIPE

HEREDITARIO MEGAPOLENSI,

PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI ET RACEBVRGI,  
COMITE ITEM SVERINENSI,

TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE

DOMINO,

PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO

SVB PRAESIDIO

DN. IOH. BERNH. QVISTORPII,

MED. DOCT. EIVSDEMQUE PROFESS. PVBL. ORDIN.

CIVITATIS ROSTOCHIENSIS POLIATRI,

FAVTOVIS AC PATRONI, OMNI PIETATE ET VENERATIONE  
PROSEQVENDI,

*PRO LICENTIA*

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA,  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA.

MORE MAIORVM RITE OBTINENDI

D. XXIV. AVGVSTI MDCCLII.

PLACIDO PHILIATORVM EXAMINI EXPONIT

AVTHOR

IOACH. DAV. OLDENBVRG, MEGAP.

MED. CAND.

TYPIS I. I. ADLERI, SEREN. DVCIS AVL. & ACAD. TYPOG.

1752

INSTITUT ANATOMIE ET  
MUSEUM ANATOMIE ET

ACADEMIE ROYALE DE  
MÉDECINE DE BRUXELLES

DOMINIQUE FRÉDÉRIC  
DE BRUXELLES

PROFESSEUR DE  
MÉTAPHYSIQUE

DR. JOH. BERNH. QUASTENBERG  
PROFESSEUR


PROFESSEUR  
DE MÉDECINE

SYMPOSIUM ANAT. MEDIC. HONORIS INGENIUM  
ET LITTERARUM

TRACTATUS DE ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA  
AUCTOR


JOHANNES BAY-GLIENBERG, MEDICUS  
MED. CAND.

PROF. A. ALBERTUS, PHYSICUS & ANATOMUS



Q. D. B. V.

§. I.

 Quod tria  $\Theta$ ium summa dentur genera  
scilicet acida, alcalica, ex his duobus  
enata  $\Theta$ ia neutra, quod dein salia solu-  
ta lingvæque imposita saporem afficiant, sensi-  
bus et experientia satis comprobatum est.  
Ultimum hocce ex ipso caractere salis cujus-  
que sponte sua elucescit, quia Corpus  $\Theta$ inum  
inter alia etiam tale vocatur, quod aqua non  
tantum sit solubile, verum et præcipue quod

A 2

iste





iste sensus, quem saporem appellamus, potissimum a  $\Theta$ ibus solutis, horumque, irritatione oriatur. Animus jam non est, de salibus in genere, de eorundem origine, natura, indole, varia mixtione atque effectibus, verba facere, hocce siquidem conamine limites dissertationis academicæ facile egrederemur, sed scopo nostro tantummodo salium acidorum effectus in corpore humano | destinavimus. Quo nomine nobis veniunt talia corpora, quæ linguæ imposita degustataque, ob particularum suarum rigiditatem, ac eminentem acorem, talem nervosis membranaceisque linguæ partibus imprimere valent sensum, cui ad cerebrum continuato, idea saporis acidî succedit, et quæ explicita cum quovis alcali congregiuntur.

SCHOL. Non mirandum, nos dare  $\Theta$ is acidî definitionem, quæ clarum tantummodo exhibet conceptum. De rebus enim per sensum tantum cognoscendis, alias quam claras ideas non acquirimus.

## §. 2.

Quo ergo de natura acidorum, et vera eorundem indole meliorem nobis formare queamus conceptum, e re esse judicamus, ut illo-



illorum qualitates específicas aut potius eorum  
proprietas sigillatim percurramus.

§. 3.

Inter has proprietates prima et notabilior est, quod cum alcalicis effervescent. Quæ actio in se spectata, si nempe acida et alcalica puriora cum invicem miscentur, a particularum, quæ in interstitiis horum duorum sibi contrariorum fluidorum hærent, elasticitate, compressione, levitate et motu impetuoso, quem incalescentia subinde ab effervescencia excipit, est derivanda. Hic motus tamdiu durat, donec particulæ  $\ominus$ inæ, acutæ, acidæ poris alcalici corporis, aut fluidi mixti infixæ obtundantur, frangantur, atque acidum cum alkali in  $\ominus$  neutrum sit commutatum.

SCHOL. I. Diximus, particulas, quæ interstitia horum fluidorum intrant, esse causam hujus actionis. Cum ergo hæ particulæ merito pro aereis sint reputandæ, de aere vero ex physicis constat, quod corpus sit fluidum elasticum, quodque aer in interstitiis corporum hærens, magis sit compressus, sequitur particulas aereas hæc enarrata præstare posse. Quod si itaque ponamus, particulas hæc aereas esse specificè leviores particulis fluidorum inter se miscendorum, esse porro elasticas atque a



particulis fluidorum compressas, necessario multæ ac innumeræ particulæ elasticæ ex his eliminari debent, quia penetratio fluidi aut acidi aut alcalici accedentis, in momento quasi contingit. Hæ enim particulæ tanquam specificè leviores adscendunt, et quia sunt elasticæ atque compressæ, compressione cessante, sese expandunt, et fluidum in quo hærent, versus superiora pellunt, sicque ebullitionem præstant. Si incallescunt quædam, utpote quæ facile ob vehementiam motus, et nimium particularum ignearum attritum versus se invicem, exoriri in hoc casu possent, huic ebullitioni accedit, Chymici hanc actionem, effervescentiam dicunt.

SCHOL. 2. Mens nostra non eo redit, ac si acida tantummodo cum solis et completis alcalicis effervescerent, uti in §. præced. quidem allegatum est; sed hisce verbis tantum asserere conamur, quod ob particularum contrarietatem, et interstitiorum magnitudinem, in horum mixtione effervescentia magis perfectæ sit; alias satis apparet, acida etiam cum terris insipidis et absorbentibus effervescere, et tunc in concreta terreo-falsa transire. Non solum vero acida hoc præstant, sed et cum ipsis acidis rursus effervescentiam ineunt, quale exemplum suppeditat oleum vitrioli, cum solutione argenti per aquam fortem facta, commixtum. Congrediuntur quoque acida cum oleosis et sulphureis, prouti experimentum Illustris HOFFMANNI in ejusdem *observationibus Physico Chymicis Lib. III. p. 123.* et seqq. satis testatur, quando nempe spiritus Nitri summe



summe rectificatus et flammificus oleo Caryophyll. adfunditur. In hoc casu ob  $\frac{1}{2}$  copiosum, quod in uno aut utroque reperitur, particulæ igneæ tanto gradu agitantur, ut flammam edant.

§. 4.

Huic acidorum actioni priori, haud dissimilis alia proprietas, nempe præcipitatio esse videtur, quæ in eo consistit, quando partes h. l. antea in menstruo alcalico solutæ, ab acido solvente rursus separantur, et ad fundum descendunt, quod eodem modo cum alcalicis liquoribus aut corporibus solidis sese habet. Patet hocce experimento Chymicis satis noto, quando videmus, lixivium scoriarum, vel hepatis Antimonii, per acetum aut solutionem Vitrioli Martis rursus præcipitari.

SCHOL. Sponte patet, pro diversa pororum ac partium corporis solvendi figura, magnitudine et gravitate specifica, diversas particulas, tam quoad magnitudinem, quam gravitatem requiri, pro ratione menstrui, et hinc inde varias enasci præcipitationis species.

§. 5.

Ad acidorum proprietates porro referendum, quod corpora inflammabilia,  $\frac{1}{2}$  ea, oleosa  
et



et spirituosæ figant, ita ut priora sæpe numero oleorum, posteriora resinarum, et pinguedinum formam repræsentent.

SCHOL. Dicta hæc illustrat inter alia, experimentum, cum oleo Vitrioli instituendum, utpote quod Camphoræ superfusum, eandem ardore ac volatilitate maxima ex parte privat.

§. 6.

Prouti vero acidæ diversæ qualitatis specificæ inveniuntur, ita et quædam ex eorum censu, solutione corporum ab iis facta, his adunantur concresecendo, ut naturam priorem quasi exuant. Imo acidæ, ut ita dicam, acidissima, dum rodunt sua solvenda, vere ab iisdem immutantur, et naturam acidi non modo, sed et solventis deponunt. Exempli loco sit spiritus nitri, qui alias mercurium, rodit, dein ab eo immutato reductus, facultatem amisit brevi, mercurium ulterius dissolvendi.

§. 7.

Proprietatibus acidorum denique adnumerandum, quod colorem in plantis ceruleum mutant in rubrum, et rubrum in flammæum igneum, prouti experientia hoc fati-  
cis



cis vegetabilium manifestat. Quem enim fugit e. g. syrupum violarum accessu acidi colorem grate coeruleum in rubicundum commutare, quare et experimentum hacce sub exploratione indolis fontium medicatorum in usum trahi solet. Imo et flores cichorei sylvestris ab acervo formicarum circumsepti rubicundum induere solent colorem, quando ab exhalationibus formicarum acidis sensim afficiuntur.

§. 8.

Proventus acidorum, licet ex tribus largissimis naturæ regnis fiat, hicce tamen quoad copiam in unoquoque regno admodum variat; operæ proinde pretium esse arbitror, ut quæ ex hisce regnis, acida proveniunt et quomodo inter se differant, paucis investigemus.

SCHOL. Natura duce Regnum animale, paucam largitur acidi quantitatem, prouti jam illustris HAMBURGIVS experimentis suis optime probavit, cum e sangvine animantium puadrupedum horumque carnibus, exiguam tantum quantitatem multo labore eduxerit. vid. memoires de l'accad. Royal de sciences ao. 1712. pag. 9.

B

§. 9.



## §. 9.

A regno itaque minerali ineipientes, quæ hoc largitur acida considerationi nostræ subiciemus. Et prouti de his in genere monendum, quod præ acidis, tam vegetabilis quam et animalis profapiæ majoris longe sint gravitatis ac acoris, ita et ratione acidi veri, quod possident, longe inter se differunt. Quæ diversitas illorum mixtioni diversæ ac principiis est attribuenda.

## §. 10.

Primum inter hæc locum non immerito occupat *acidum vitriolicum*, quod uti illustris STAHLIVS etiam monet, omnium reliquorum est potentissimum. Ex chymicis quoque constat, hoc rite depuratum et aquosa parte quodammodo orbatum, tamen adeo difficulter evaporabile esse, ut insignem ignis torturam requirat. Ex quo facile concludi potest, acidum, quod vitriolo inest, concentratum maxime esse. Non minus habet ponderosissimum præ reliquis acidis, nam uti experimenta indicant, sese habet ad spiritum niri ut II. ad 9. ad spiritum salis ut II. ad 8. ad aquam fortem ut II. ad 9. Et jam HAMB-  
BERGI-



BERGIVS annotavit quod uncia una olei vitrioli, subtracto omni phlegmate continere ʒvij et gr. V. acidi veri. Tanquam fixissimum etiam inter omnia acida spectari potest, dum ultra 560 gradus ignis exposcit, prius quam recte ebullit et quia non fumum dat, nisi aquæ illius, quæ acido inhærescit teste celeberr. BOERRHAVIO et quid oleum vitrioli est aliud, quam ope destillationis a corpore crudo metallico-vitriolico separatum acidum fixius. Acorem quoque insignem, qui in hoc scatet, probat spiritus aperitivus Penoti, qui, ut naturam suam acerrimam quasi exueret, per additum tartarum calcinatum mutari debet.

§. II.

Inter acida regni mineralis porro haud contemnendum *acidum nitrosum* refertur, quod acido quidem vitriolico cedit, sed e contra longe volatilius existit, quia multas particulas phlogisticas continet, et ex tenuitate insigni, terreis quibus gaudet adhærendo, tenuia hæc itidem servat, ex quo volatilius fit præ reliquis. Non mirum inde est, quod metalla quædam e. g. mercurium, saturnum et venereum tanto cum fervore aggrediatur et solvat,

B 2

S. 12.





## §. 12.

Debilius longe, hisce duobus recensitis existit et in hoc ab illis differt, acidum salis communis, quod optime probatur, quando spiritus nitri sali infunditur communi, et destillatio instituitur, tunc magis spiritus salis quam nitri in conspectum venit nitro vero fortiori remanente. Huic etenim residuo oleum vitrioli infusum, mox spiritum nitri manifestat. Insuper notandum de hoc acido, quod non omnia metalla solvat aut sine discrimine rursus præcipitet, item quod differat ab acido insigniter admodum vitriolico, dum alcalica multo fortius aggreditur et maxime cum iis cohæret; cum e contra acidum salis communis, per spiritum nitri, ab alcalicis se rursus separari patiatur. Ceteroquin per quam facile solvit ferrum imo et stannum ipsum, sed et maximo negotio mercurium vivum, minus vero plumbum. Quibus metallis prius in acido nitroso solutis, si acidum salis communis addatur, tunc hisce, quam cito adhærens, sub formam albi tenerioris pulveris fundum petit.

§. 13.



## §. 13.

Cum acidum tam sulphuris quam aluminis, maxime ad naturam Vitriolici accedere videatur, et in acido essentiali non discrepet supervacaneum esse censemus, discrimen illud, quod ea intercedit, multis explicare.

Ut vero aliqualem differentiam inter sulphur et vitriolum adducamus, hanc in eo consistere arbitramur, quod in sulphure, una cum acido volatili et spirituofo, quædam substantia juncta fit; Id quod accessus hujus ad aerem liberiores et deflagratio cum nitro optime evincunt; longe autem alia ratione, hoc sese habet cum vitriolo, quippe quod ita tenaciter metallicis adhæret particulis, ut phlogiston aut pars inflammabilis ab ipso excuti, vix ac ne vix quidem possit.

## §. 14.

Pedem promovemus, ad contemplationem spirituum acidorum, in regno minerali occurrentium, qui cum vario modo discrepent, non inutile erit, ut rationem differentiarum illorum subjungamus. Quam in eo consistere putamus, quod non solum ratione saporis et odoris sed et gravitatis specificæ, maxi-

me diversæ sint conditionis. De quo ultimo discrimine hæc proportio notanda, quod  $\ominus$   $\ominus$  is minimam,  $\ominus$   $\ominus$  minorem et  $\ominus$   $\ominus$  li maximam præ hisce duobus, habeat gravitatem specificam. Prouti enim supra jam in § 9. pondus præprimis acidi vitriolici, et quomodo reliqua acida mineralia tam inter se, quam respectu hujus, quoad pondus se habeant, examinatum est; ita et in hoc præsentī casu facile a pondere, ad gravitatem specificam erit concludendum.

## §. 15.

Spiritus nostros etiam intercedit discrimen quoad odorem; Exempli loco hic in medium proferimus spiritum nitri, qui perpetuo fumum spargit, et odorem acido-sulphureum exhibet, id quod in reliquis non observatur. Inde etiam nomen spiritus fumantis accepit, quia perpetuo, aere, quam primum accedente fumat, imo et flammam concipit, si quid olei ætherei, illi addatur.

## §. 16.

Ratione saporis necessario diversitas quædam inter hos spiritus adesse debet, siquidem  
fatis



fatis superqve constat, saporem, a solutis salibus præprimis originem ducere, cum igitur spiritus nostri ex diversis salibus acidis producantur, de quibus unum præ altero fortius aut debilius majori aut minori quantitate solutum existit, prout illorum mixtio sese habet, et cum sulphuræ partes et quibusdam, metallicæ partes, salibus acidis adhæreant, quæ spiritus appellantur, et pro quantitate sulphuris horum spirituum, alias partes magis involutas teneant, sequitur sponte, non in omnibus hisce spiritibus saporem eundem esse posse.

§. 17.

Ex modo dictis, ergo satis evictum crediderimus, quod differentia horum spirituum acidorum in diversa ratione, ubi sulphur cum salibus acidis junctum est, unice sit quærenda. Diversa itaque phœnomena, quæ spiritus nostri, tum quoad solutionem, gravitatem specificam et reliqua exhibent, ex hoc fundamento oriuntur. Quod si ad solutionem in specie attendimus, hæc magni est discriminis, dum v. g. spiritus nitri solvit lunam et saturnum, minime vero adficit aurum et stannum, e contra vero, spiritus salis solvit ☉ et ♃, nulla autem

tem ratione argentum et Saturnum, cum tamen reliqua metalla ab iis solvantur.

§. 18.

Licet quoque spiritus nostri, cum alcalicis congregiantur et in crystallos abeant, attamen hoc iterum diverso plane fit modo, si rationem figuræ habeamus, quam in congressu cum diversis alcalicis accipiunt. Ita enim figura prismatica oblonga evadit, si spiritus nitri cum sale tartari congregitur, cubica autem existit, si spiritus salis cum sale tartari concrevit.

§. 19.

Contra genium etiam spirituum acidorum esse, merito existimatur, quod nempe resinas non solvant, cujus vero, ratio in gravitate specifica partium majori latitat. Quoniam vero spiritus nitri non solum resinas crassiores ut picem resolvit, sed et leviozem, ut camphoram plane fundit, quod reliqui non efficiunt, necessario alias partes constitutivas quam reliqui habent, possidere debet, ex quibus luculenter apparet, hosce spiritus ratione partium constitutarum, maxime esse diversos.

§. 20.



## §. 20.

Ad præparata acida et magis composita, quæ quidem non per se aut immediate ex regno minerali proveniunt, sed quicquid præstant, his acidis debent et ope horum præstant, nunc progredimur. Sub quorum censum primo venit, sic dictus Tartarus Vitriolatus, qui ex acido vitriolico sulphureo, cui alcali fixum tartari associatur, constat. Quid in conjunctione cum alcali fixo tartari valet, necessario acido vitriolico est adscribendum, inde etiam digestivum universale in medicina reputatur, de viribus et usu hujus medicamenti, tam proficui plura proferre, instituti ratio non permittit, licet in ejus laudes excurrere amplissimus alias esset locus.

## §. 21.

Non injuste etiam hunc occupat locum Bezoarticum minerale, quod uti modus parandi evincit, virtutes suas acido nitroso aut spiritui hujus debet. Cum vero de potentia et reliquis acido nitrosi qualitatibus jam supra sit dictum, hocce silentio præteribimus.

C

## §. 22.

## §. 22.

Nunc sese offert elixir proprietatis *paracelsi*, quippe quod ex aloe, myrrha et croco cum spiritu vini paratur, ita ut vel spiritus sulphuris aut vitrioli hisce speciebus addatur. Efficaciam hujus tam egregii medicamenti maximam partem spiritui sulphuris, aut quod melius est, vitrioli tribuendam esse nemo inficias ibit, imprimis si virtutes in arte medica non sat laudandæ considerantur. Ut unam probandi causam tantummodo leviter attingam, quid non hoc medicamentum in ipsa peste efficit. Sed nullo modo hoc præstare posset, si non acidum illi associatum esset, quod ex sua natura putredini resistit, cum morbus supra dictus, in putredinosa resolutione humorum et totius massæ sanguiniæ consistat.

## §. 23.

Optimè etiam huc recenseri meretur clystus antimonii, qui est spiritus acidulus ad indolem spiritus vitrioli ut plurimum accedens, ex incenso sulphure in antimonio delitescente et inflammabili nitri portione pronatus. Quos et quantos in morbis curandis, avertendisqve, hoc



hoc salubre medicamentum effectus edere pō-  
sit, facile ex partibus hujus constitutivis colligi-  
tur. Cui accedit, qvōd acidum hoc loco præ-  
sens, magis sit temperatum, et per consequens  
corpori humano præceteris amicum.

§. 24.

Pariter non omni defraudandæ sunt laude,  
ab antiquo celebrata, illa mixtura simplex ut et  
tinctura bezoartica, quam huic merito adjun-  
gere possumus, id circo qvōd parum differt a  
mixtura simplici, et ideo composita vocatur, mi-  
xtura simplex. Quid de hisce duabus dicen-  
dum eslet forsitan, id erit, qvōd qvam plurimæ  
vires qvibus pollent, rursus spiritui vitrioli sint  
assignandæ, qvi cum spiritu theriacali est di-  
lutus.

§. 25.

Non negandum, qvōd plura hujus gene-  
ris medicamenta acida composita dentur, qvæ  
vero omnia hic recensere, ex brevitate nobis  
in hac tractatione præfixa, non licet, et limites  
longe excederet nostræ dissertationis. Potius  
ergo ad alterum acidorum regnum, qvōd vege-  
tabile appellamus, nos convertimus.

C 2

§. 26.





## §. 26.

Prius vero quam nostræ intentioni satisfacere possumus, naturalis quasi divisio acidorum hujus regni sponte sese offert, quam prosequi animus est. Optime etenim dispescuntur acida vegetabilis profapia, in ea, quæ adhuc cruda & sibi relicta sunt, et illa, quæ tanquam artificialia et per artem præparata prostant.

## §. 27.

Ad priorem classem spectant succi vegetabilium v. g. acetosæ, acetosellæ, ribium, limonium & quæ reliqua. De quibus vero omnibus monendum, quod non qualitatibus distinctis sint præditæ, sed acidum in diversa quantitate in se contineant, quippe quod magis implicitum est, interim tamen quædam dantur, quæ gratam acidi perceptionem et vino simillimam, gustui exhibent nostro, ut cerasa, fructus rubidæi, berberum etc. Simili modo huic classi sunt adnumeranda, quæ acido-austera existunt, ejusmodi generis sunt succus hypocistidis, fructus acaciæ germanicæ, mespela. Quæ omnia acidum vel magis explicitum vel implicitum fovent, eamque ob causam quoad aciditatem, plane



plane inter se differunt, id quod partim gustus, partim vero reliqua signa manifestant,

§ 28.

Nunc pro grediendum est ad alteram classem, ad quam ope artis producta referuntur. Inter quæ primum obtinent locum salia essentialia plantarum quarundam acida, ut sunt citri, acetosæ, acetosellæ etc. quæ ad siccam et solidam consistentiam recrementis-terreo-mucidis segregatis deducuntur, et enatæ crystalli, quoad singulas proprietates tartari crystalli simillimæ, majorem hinc inde nascuntur acoris gradum. Ex quibus facile fluit, hoc acidum plantarum præ primis esse concentratissimum, siquidem magna ex parte principio unctuoso ac terreo mucido est privatum, et id circo in gradu acoris a reliquis vegetabilium acidis se discernit,

SCHOL. Notum enim est, quod quo major aquei cujusdam aut oleoso-unctuosæ substantiæ quantitas corpori cuidam salino acidæ indolis admisceatur, eo magis aciditas hujus corporis infringatur. (per experimenta chymica) Ergo cum in hoc nostro casu id remotum est, necessario dictum in §. corroboratur,

C 3

§. 29.



## §. 29.

Liceat nunc quædam verba facere de tartaro, cujus ortus neminem fugit. Præterea est corpus sulphureo-salinum, quod ex duplici sale acido, nitroso nempe et marino atque sale alcalico tam fixo quam volatili, constat. Cum vero de spiritu hujus infra dicendi locus erit, reliqua hic differremus.

## §. 30.

Transimus nunc ad ea, quæ quidem ad alteram classem acidorum vegetabilium pertinent, sed in forma fluida sese repræsentant. Ordo itaque nos ducit ad aceti contemplationem, cujus parandi modus sat superque in apicum deductus, hinc nulla indiget descriptione. Quod insuper corpus fermentationis ope attenuatum, tenerrime solutum et semi-spirituosum redditum sit, existentia modus luculenter evincit, et ex solutione, quam acetum præstat, adhuc magis inclarescit, dum non solum omnia corpora terrea, ut corallia, lapides cancrorum, nec non plumbum calcinatum, limaturam martis, imo et opium, et gummi-resinas solvit. Prouti nunc acetum magnæ est utilitatis, sive sit simplex sive compositum, ita et variis



riis nominibus in officinis paratum prostat, de quibus omnibus, acetum sic dictum scilliticum, non immerito laudamus, quippe quod, propter blandam aciditatem, multos in corpore humano exserere potest effectus saluberrimos,

§. 31.

Sunt adhuc spiritus quidam vegetabiles nostra consideratione digni. Ejusdem commatis est spiritus tartari, quem acidum empyreumaticum, uno ore omnes profitentur. Cum nunc tartarus vini, testante Chymia, sit concretum quoddam ex acido et pingui principio constans, quid mirum inde, quin spiritus destillando paratus, easdem licet potentiori modo contineat partes,

§. 32.

Adhuc existat spiritus ligni sancti, qui est spiritus acidus, ad tartari et fuliginis spiritum prope accedens, empyreumatico-oleo imbutus. Nec non hujus fere indolis sunt, spiritus Sacchari, mellis, sic ut unus alteri propemodum possit substitui,

§. 33.



## §. 33.

Qvem admodum jam in principio harum pagellarum, minorem acidorum numerum, animalis regni generaliter indicavimus, ita et hic asserto nostro iterum inhæremus, in simul contendendo, in regno animali nullum acidum alicujus monenti, excepto sero lactis, cujus usus, sat hodiernis temporibus frequentissimus est, et quem antiquitas jam celebravit, et spiritum formicarum reperiri, qui nimirum summe acidus volatilis existit, prout id ex diversis phœnomenis elucescit. conf. §. 7.

## §. 34.

Incidimus nunc merito in quæstionem illam, quid acida in corpore humano sano ac vigente præstare possint? sed priusquam ad hocce plenarie respondeamus, illorum effectum tanquam generaliore, quem in ipsa Massa sangvineâ exhibent, perpendere volumus. Hunc sequentibus præmissis, optime indigere possumus, si ponamus

1) quod duo corpora, ex adhæsione in se invicem agentia etiam sese penetrare debeant; (per principia physica)

2) quod



2) quod ex hac actione aut penetratione accedente, mutatio quædam i. e. hoc loco novum corpus exurgat (per eadem principia et chymica).

§. 35.

Si ergo respiciamus ad Massam sanguineam hanc tam partes acidas quam alcalicas in se continere facile animadvertimus, quando quotidianam hujus utriusque corporis assumptionem per cibum consideramus, licet hasce partes per assumptionem, particulis nostri corporis magis assimilari et in sua natura mutari, non negemus. Quæ utraqve corpora si nunc in Massa sanguinea adsunt, necessario ex adhesionem in se invicem agunt, et hoc fiente sese penetrant (uti jam dictum est). Ex qua actione tandem nova emergunt corpora, quæ salia media appellamus (uti ex Chymicis satis superque constat). Horum salium mediorum præsentia maxime erat necessarium, ne gradus actionis salium nimis in corpore humano augeatur, quod sine omni dubio fieri debuisset, si, assumimus, quod acida et alcalica perpetuo libera permanerint et tamen per quotidianam assumptionem semper nova accesserint salia. Hæc duo

D

contra-



contraria salia, si porro in neutra sint mutata, extra activitatem, ut ita dicam, ponuntur, quibus itaque fit, ut eo melius per vasa subtilissima excerni queant.

SCHOL. Nunc removendum, quod forsan objici posset, quod ad congressum acidorum cum alcalicis effervescencia quaedam sensibilis requireretur: Sed respondemus brevissimis. In Chymicis hoc locum invenire, ubi nudus acidorum et alcalicorum liquorum accessus esse potest, minime vero in massa sanguinea, ubi salia magis diluta sunt propter particulas copiosas aqueas, quæ nullam admittunt effervescenciam, testante Chymia et quia dein salia particulis sulphuriis sunt obducta

### §. 36.

Elucet ex præmissis satis superque necessitas acidorum in corpore humano et dein ex eo, quod inter partes Massam sanguineam constituentes  $\Theta$ ia acida esse debeant (per antecedentia). Et quum omne quod in corpore humano existere debet, necessario per cibum et reliqua assumpta prius in hoc redigendum, eo facilius a posteriori probare possumus, quod acida in parviori quantitate sumpta non nocent, dum quotidie cerevisiam, panem, ob fermentationem, acidum continentem assusmi-

mus.



mus. Sicut autem omnis abusus a parciori ac moderato usu bene distinguendus; ita et acida in majori quantitate et sæpius adhibita, coagulant Massam sanguineam, quod non strictiori significato interpretandum, sed hoc loco, ita intelligendum, ut cohæsiō partium major evadat, quam antea erat. Porro notum est, quod nimia acida, vasa constringant, quia salia augent, quibus tandem fit, ut vasa, quorum parietibus salia quam maxime adhærent, rodantur et quæ erosione facta, tunc ulcera et alia mala prodeunt.

§. 37.

Si itaque acida in primis vegetabilis proficiant, ut et mineralia satis temperata et dulcificata sunt, egregium corpori humano adferre possunt sanitatis præsidium, dum præcipue in partes solidas nostri corporis, fibras stimulando agunt, ex qua actione, si debito modo fit, fibræ nostri corporis, ad meliorem contractionem perducuntur, ita ut se et excretiones languidæ, idcirco promoveantur.

§. 38.

Exemplum hic in promptu habemus in ventriculi in commodis. Si in his casibus ap-

D 2

peti-



petitus est dejectus, et acida rite præparata dantur, tunc actionem eorum exerunt, ita ut liquorem gastricum, qui nimis aquosus aut iners est, quasi acuant et incidant. Imo et ventriculi et intestinorum tunicas, impressis stimulis lenioribus, ad celeriore contractionem impellant et appetitum augeant, id quod acida ante prandium assumta, in appetitu destructo luculenter manifestant.

## §. 39.

Et quid non in ipsa massa sanguinea acida præstant? Nonne partes oleosas et phlogisticas, nimium resolutas, expansas et commotas figunt? Nonne salino-urinosas in massa sanguinea accumulatas partes, ad indolem falso-ammoniacalem reducunt et sic massam sanguineam, ut ita dicam, refrigerant?

## §. 40.

Quem egregium effectum nonne habemus de acidis, quod putredi resistant et non solum imminentem avertant sed et præsentem corrigant. In hac actione sal-acidum sali alcalino ad putrefactionem pronò resistit et hujus volatilitatem impedit, ne motus intestinalis, a sale alcalino



calino excitatus, longius progrediatur. Per  
multa hoc nos edocent experimenta, quæ in  
rebus œconomicis hinc inde instituuntur.

§. 41.

Restarent adhuc varia, hisce allatis subjun-  
genda, præsertim, quæ modum salia acida ex-  
hibendi, eorum virtutes speciales, dosin, diver-  
sam cum aliis medicamentis miscelam, damna  
ex intempestivo eorundem usu oriunda etc. con-  
cernunt, quandoquidem autem angustia tem-  
poris, huic Dissertationi impendendi, ulterio-  
rem modo recensitorum momentorum ex-  
plicationem, haud permittet, pedem huc figi-  
mus et benevolum Lectorem ad horum scri-  
ptores, in primis HOFFMANN, STAHL. et NEU-  
MANN, ablegamus.



Faxit interea Deus, cui pro beneficiis ha-  
tenus benignissime in me collatis, grates de-  
votissimos ago, ut pauca hæc in ipsius glo-  
riam et proximi salutem cedant.

TANTUM.



COROL-

## COROLLARIA.

1.  
*Salia alcalica in crystallos majores cogere posse,  
fucum sapit.*

2.  
*Datur Acetum florum violarum, elegantissi-  
mi cærulei coloris.*

3.  
*Salia alcalica corporibus natura sua non  
insunt.*

4.  
*Acidum primigenium, nil est nisi acidum vi-  
triolicum.*

5.  
*Sal et Saccharum præservant a putredine, et  
hoc ex principiis suis constitutivis.*

6.  
*Aqua simplicissima est panacea, si talis detur,  
quia diluit salia et acidum.*

7.  
*Sapor et odor, principia plantarum constitu-  
tiva, imprimis Salino-Sulphurea prodit.*

8.  
*Medicamenta non faciunt ad conservandam  
sanitatem.*

9.  
*Qui multis gloriatur arcanis, deceptor est.*

10.  
*Authoritati in Medicina aliquis est locus.*

\* \* \*

PRAE-

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DNO. DOCTORANDO,  
AGNATO SVO AMANTISSIMO,

S. P. D.

**PRAESES.**

**I**nter eos, qui Medicinæ operam navarunt, plurimos observabimus, quorum scientia Chymicæ non nisi tralatitia dicenda; sive quod occasione destituti, ad intimiores ejusdem recessus penetrandi, generalem tantummodo et vix Theoreticam sibi comparare potuerint artis hujus peregrinæ ac præstantis notitiam, hinc in enodandis phænominis specialioribus, in administrandis cum ratione operationibus Chymicis et in applicandis encheiresibus necessariis plane exstant hospites, sive quod ex ignavia aut mollitie reformident, manus carbonibus commaculare, noctes aliquot in Laboratorio pernoctare, et vapores quandoque minus salutare, respirando attrahere, quæ molestiæ laborum Chymicorum comites esse solent indivulsi, ast utilitate insigni compensantur.

Aliter Tecum comparatum esse *Præstantissime* DN. DOCTORANDE, non tantum Facultas nostra sub Examinibus privatis est experta, sed et præsens Dissertatio inauguralis, Tuo Marte, concinnata, luculenter comprobatur. Exhibuisti eandem mihi, more consveto, ut sup-  
pedi-

peditarem, quæ fortasse addenda vel emendanda essent, Placuit tamen plane immutatam illam Tibi reddere, paucissimis saltem interjectis, quæ prolatorum connexio desideravit, ut eo melius innotescat, quosnam in Medicina feceris progressus et quænam porro a Te sint expectanda. Gratulor proinde Tibi hanc artis salutaris cum Chymia conjunctionem, et dissertationis defensionem solennem, felicem et exoptatam Tibi fore non tantum auguror sed spero et prævideo. Gratulor Tibi quoque honores summos in arte Medica, ex merito mox capeffendos, Deum præcatus, velit Tibi vires et animi et corporis ad feram usque ætatem concedere, Tuisque laboribus clinicis benigne adesse, ut Tua opera, tuisque consiliis multorum ægrotantium sanitas conservetur et restituatur. Tu vero, quotiescunque negotia tua, otium Tibi concedent, nostri memor esto. Vale Dabam Rostochii, die 22 August, Ao MDCCLII,
















the scale towards document

ENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
**DOCTORANDO,**  
TO SVO AMANTISSIMO,  
S. P. D.  
**PRAESES.**

ui Medicinæ operam navarunt, plurimos  
mus, quorum scientia Chymix non nisi  
dicenda; sive quod occasione destituti, ad  
isdem recessus penetrandi, generalem tan-  
vix Theoreticam sibi comparare potuerint  
regriæ ac præstantis notitiam, hinc in eno-  
minis specialioribus, in administrandis cum  
tionibus Chymicis et in applicandis enchei-  
fariis plane exstant hospites, sive quod ex  
mollitie reformident, manus carbonibus  
e, noctes aliquot in Laboratorio pernoctare,  
tandoque minus salutare, respirando attra-  
olestia laborum Chymicorum comites esse  
lfi, ast utilitate insigni compensantur.  
ecum comparatum esse *Præstantissime DN.*  
*DE,* non tantum Facultas nostra sub Exami-  
s est experta, sed et præfens Dissertatio in-  
tuo Marte, concinnata, luculenter compro-  
uisti eandem mihi, more consveto, ut sup-  
pedi-